

De fide

illius creature spiritualis que pure est spiritualis. illa enim
 non videtur egere creatura corporali. ergo propter utilitatem
 creature que partim est corporalis. et partim est spiritualis. Si er-
 go corporalia creata sunt secundum primam ordinationem creatoris
 homo ergo factus fuisset. licet nullus angelus corruisset. Item
 sicut omnia sunt a deo. sic omnia sunt ad deum tanquam ad fi-
 nem supremum. que autem propinquiora sunt deo similitudi-
 ne immediate ad eum ordinantur. ut creature spirituales.
 que autem magis distant ab eo similitudine. mediate ad eum
 ordinantur. ut corporales creature. creature vero pure cor-
 porales non videntur posse ordinari ad deum per pure spūa-
 les cum quibus habent disconuenientiam. Et igitur creatura par-
 tim spiritualis et partim corporalis. homo scilicet per quem creature
 corporales ad deum ordinantur. et hoc tripliciter. Uno modo
 qua in homine est inuenire. quod natura in omni creatura.
 quia corporeum. vegetabile. sensibile. rationabile. Unde in eius
 beatificatione. quod natura omni creature beatificatur. Secundo
 quia homo positus est. quod medius inter creatorem et creatu-
 ras corporales secundum dignitatem deo inferior. creaturis illis
 superior. ut deo ministret et sibi ab illis ministratur. Tercio
 quia cum homo ratione corporis quo similitudinem habet cum
 omnibus corporalibus creaturis. capax sit bonitatis eorum
 manifeste apparet quod ratione anime que deo similis est capax
 potest esse beatitudinis diuine. Unde in libro de anima et spūi-
 tu. fecit deus hominem de limo terre. et inspirauit in faciem eius
 spiraculum vite dans ei sensum et intellectum. ut per sensum lu-
 tum sibi sociatum viuificaret. et per intellectum egeret ut per
 intellectum intus ingrederetur et contemplaretur dei sapientiam.
 et per sensum foris egrederetur. et contemplaretur ope-
 ra sapientie. intellectum intus illustrauit. sensum foris decora-
 uit. ut in vtroque refectorem inueniret. intus ad felicitatem
 foris ad iocunditatem. Item in eodem. Si tam disparem
 naturam carnis et anime ad unam federationem atque amicitiam
 deus coniungere potuit. nequaquam erit impossibile ei rationabilem